

MONARCHIA DIVINA,

SEU

JURE DEI

IN HOMINEM,

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QVAM,

BENEDICENTE TRIADE,

SIC DECERNENTE AMPLISS. FACULT. PHILOSOPH.

IN REGIO, AD AURAM, ATHENÆO

SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI

M. PETRI HAHN,

SCIENTIÆ NATURALIS PROFESS; ORDINARI REGII,
ET ACADEMIÆ BIBLIOTHECARI;

PRO GRADU MAGISTERII,

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI MODESTE SUBMITTIT

S:æ R:æ M:tis ALUMNUS

SVENO M. ARELIUS,

IN AUDITORIO MAIORI DIE XXI. JULII,

ANNI M. DC. XCI.



ABOÆ, IMPR. APUD JOH. LAURENTII WALLIUM.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILOSOPHY DEPARTMENT

1950-1951

PHILOSOPHY 101

PHILOSOPHY 102

PHILOSOPHY 103

PHILOSOPHY 104

PHILOSOPHY 105

PHILOSOPHY 106

PHILOSOPHY 107

PHILOSOPHY 108

PHILOSOPHY 109

Reverendisimo in Christo Patri ac Domino,

DN. SAMUELI WIRÆNIO,

**S:æ Theologiæ Doctōri Celeberrimo, inelytæ
Diœceseos Wexionensis Episcopo Eminentissimo,
Consistorii Præsidi gravissimo,**

*Patrono Magno, Summa animi veneratione
æternum suspiciendo.*

Maxime Reverendo & Praclarissimo Domino,

Dn. Mag. OLAO CAWALLIO,

**Diœceseos Wexionensis Archi-Præposito dignissimo,
Wexionensium Pastori fidelissimo,**

Promotori certissimo.

Plur. Reverendis & Clarissimis Dominis,

**Dnn S:æ THEOLOGIÆ LECTORI-
BUS, CONSISTORII ADSES-
SORIBUS,**

Promotoribus sincere colendis,

Hunc ingenii tenuem foetum humilimè ac
officiosè consecrat

S. A.

Ad
VIRUM

Traditione rarâ conspicuum.

Dn. SVENONEM ARELIUM

Amicum & Sympatriotam dilectum,

De

JURE DEI IN HOMINEM,

Pro in Philosophia honoribus obtinendis subtilèr disputantem;

GRATULATIO:



Florentes nostros jam Sirius ustus a-
gellos

Reddidit aridulos, raraque messis
erit.

ARELIO nostro planata est area doctum;

Fertilis indè seges, Nominis atq; decus!

Aboæ d. 17. Julii,
1691.

ELIÆ TBE. PUNDSI
Med. Doct. & Prof.

Virtute & sapientis animi claritudine,

Viro Juveni maximè conspicuo,

DN. SVENONI ARELIO,

Amico suo singulariter dilecto, de JURE DEI IN HOMINE
pro summis in Philosophia honoribus modeste obtinendis eruditè differenti:

Dilm Cathedram ascendis miles cultissime ARELI
Disseris & lingua doctior inde tua,
Ut pateant patria tua quanta industria tibi
In sophiæ studiis Eusebiæque fuit.
Scilicet emensis curisque laboribus istis
Palladis e manibus, digna brabea feras
Quæ tua sat digne meruit sapientia, virtus,
Oris Itemque decus, vita modesta pia &
Gratulator ergo tuis, mi dilectissime ARELI,
Ausibus, & coeptis plurima fausta precor:
Ut vasti ingenii donis patriæque DEIque
Inservire quæse usibus egregiis.

SVENO ARELIUS,

Per anagr.

VIS ORE VALENS, vel SERVIO VALENS, vel SALVEO VIRENS.

ORE VALENS VIS es lingvæ speciosa disertæ
QVI fari didicit, didicit quoque pondera rerum.
Ingenio ipse VALENS Masis, Regique DEO que
SERVIO cur promptus dum spiritus hos regit artus.
Afferere hoc laus est: SALVEO mente VIRENS.

L. Mg. sed subito scripsit

JOH. FLACHSENIUS.

VIRO JUVENI

*Optimas Artes optimè docto, Virtutiqve sum-
mè dedito,*

DN. SVENONI ARELIO,

Philosophiæ sobriæ Candidato omninò perstrenuo,
pro Gradu Magisterii disputaturo, Amico &
Commiliti pensuùs adamando:

JURA DEI in nos Mortales, magnalia quæ
sunt

Numinis immensi concelebranda piè;
quo pacto superum Rex exercere volebit
Jura eadem & soleat, pandere tute paras,
Te voco felicem, nec non congaudeo honori
quem dabit aonii Turba novena jugi!

*Utat compluribus impeditus L. in. Mq̄i
gratabar*

Dab. Raptissimè Aboz
d. 13. Quintil. A. 1691

SIMON RAPPO Aboëns.
Metaph. & Log. Prof. Ordin.
Pastor Pikenfis, nec non h. t.
Facult. Phil. Decanus.

Peregrinæ DN. CANDIDATE ARELI,
amico vetus.

Impiger ingenuas, ARELI, Palladis artes
Sectaris, Musas assiduusque colis,
Est testis locuples tua Dissertatio præsens,
En! fœtus doctus comprobat hæcce tuus,
Scilicet hoc monstras scripto, Patriota, polito,
Ingenio, lingua faviloquente simul,
Defendisque theses, nodosa Sophismata solvens,
Immota statuis, quod ratione probas,
Ingenuas animi clausisti in pectore dotes,
Quod decoret Juvenem, promoveatque senem,
Promovet atque juvat, testaris singula tute,
Pro studiis claris digna brabea capis.
Fervidus ut fueras per cunctæ tempora vitæ
Cultor Castalidum & simplicitatis amans;
Plurima sic referes, ARELI, præmia jam jam
Insigni lauru condecorandus eris,
I modo, quæ restant felix, superare paratus
Tu patriæ in laudes vive, valeque diu!

*Amico amicissimo amicitia causa
applausu*

MAGNUS M. D.



I. N. J.



Ori mundo sane se rideandos exponunt, qui Atheismum horrendum & fabulosum illud dogma, quod vel sana ratio eludit, in regnum mortalium, ore & calamo, conati sunt introducere. Non enim vidit hactenus, nec visurus est posthac ullus mortalium lucem hanc mundanam, quæ, in lucem venientem, non comitatur notitia quædam & sensus Divinitatis supremique Numinis. Notitia enim illa tam altas egit radices in natura humana, ut nunquam possit penitus eradicari, ne dicam unquam abesse; quamvis hic vel ille ex furore detestando, & ægerrima mente, non raro hoc lumen obscuret, imò planè quoad tempus suffocat; in flammam tandem tamen erumpet, vimque suam satis superque ostendet. Hæc, utut ita sese habeant, non tamen nobis persuademus, aliquem in toto mundo dari, qui immotam, fixam constantem, & securam animi concepit sententiam, quam, & perseverantèr cogitat defendere, de neganda existentia DEI; extincto planè in corde, omni supremi Numinis, sensu, metu, cultu: non reclamantibus, vel propriis scrutiniis, vel aliorum admonitionibus & increpationibus, aut denique actuum admissorum examinibus. Iuxta interim fateri, caterva Epicuræorum, & reliqua securitati indulgens turba, nos cogit, illos iam magna, eheu!

A

copiæ

copia, reperiri, qui vita sua negant DEUM, eiusq; regimē, & dominium rigida cervice subeunt, audentes ausu profus temerario, supremo Regi & Domino, in non exequendis ejus mandatis, frequenter monente natura, resistere, reclamante interim conscientia; Deo tanquam omnium opifici potentissimo, esse submittendam cervicem; & ab illo Jus esse accipiendum, à quo homo omne, quod habet, accepit, & non uno nomine sibi obnoxium fecit. Creando enim hominem suæ bonitatis adeo eundem participem fecit, ut hoc nomine ejus imperium volens vel nolens teneretur recipere, legem ab illo latam agnoscere, inque actionibus suis exprimere. Proinde non metuendum est totam illam farraginem malè feriatorum hominum, aliquando destructuram fore illa argumentorum pondera, quæ, vel Lumen naturæ, pro hoc negotio adstruendo, suppeditare valet. Cum hoc etiam sit totius generis humani, communis tanti boni possessio, quam, sibi è manibus eripi, nunquam patietur. Hoc est sanè in ore omnium, adeoque etiam Lumini naturæ non ignotum, imperium & jus in hoc universum, soli DEO competere; quod & gentiles agnoscunt & venerantur, dum consentunt: *Omnes mortales à DEO regi*, approbante dictum hoc *Alex. Magno*, audiente Philosophum *Psammonem* recitantem illud in *Ægypto*: referente *Plutarch.* Innatum est omnibus hominibus DEO deberi obsequium & venerationem; quod nec gentiles Deastris suis denegarunt. Juxta illud *Welleji* Epicuræi apud *Ciceron.* de Nat. Deor. pag. mihi 12. *Imposuistis in cervicibus nostris sempiternum dominum, quem dies & noctes vinceremus. Quis enim non timeat, omnia providentem, & cogitantem, animadvertentem*

Et omnia ad se pertinere cogitantem, curiosum Et plenum negotio DEUM. Cum itaque hæc sint evidentissima, nolumus in re evidenti & clara operose & anxie multa conquirere; nè forte prolixitate aliqua tædiosa, Lectorem optimum, in limine hujus dissertationis, absterreamus. Sed recta, ad illud persequendum, favore Cæli, nos accingemus, cujus gratia calamum in manum assumimus, membris saltim duobus discursum huncce includendo.

MEMBRUM PRIUS.

§. I.

Non est quod amplius indicemus quodnam Dissertationis nostræ elegimus argumentum, cum vel ipse, si, quæ heic præmissa sint, perlegeris, conicere possis, nos, illud *de jure Et Dominio DEI in Homines*, in humeros suscepisse thema, hac occasione, pro viribus nostris enucleandum, quod satis præclarum judicavimus, in quo vires luminis naturæ experiri possumus, ad cujus luminis ductum, illud etiam persequemur. Non equidem deprehendimus aliquem, qui hoc *Jus Et Dominium* in dubium vocavit, aut extirpatum & proscriptum voluit; de terminis tamen eidem figendis, Doctores dissentire videmus. Unde prima nostra cura erit, antequam ex Doctoribus *jus* illud describamus, opiniones istorum, at brevibus, attingere. *Osiandr.* in *Grót.* citat quendam *Curcellanum* dictum, existimantem non repugnare justitiæ Divinæ, tollere ac adimere homini, quod ipsi dedit, vitam puta, & quæ ei dedit omnia, idq; eo jure, quo creatori competit de cretura, pro lubitu disponere. Ampliores adhuc limites alii ponunt, dum asserunt, Deum

non tantum posse vitam extinguere, sed hominem in nihilum redigere & annihilare; hac moti ratione, quod figulo non potest denegari, confringere vas à se confectum. Amplissimos fines & forte justò ampliores facit Moses Amyraldus, citante eum Osland: p. 100. cujus hæc sunt verba: *Si Deus in continenti, ex quo hominem creavit, ad inferos & orbem relegasset eum, nullo respectu habito actionum ejus bonarum aut malarum, ad ostendendum supremum imperium, quod habet super omnes res creatas, nullis terminis & limitibus circumscriptum, creature esset in eo quiescere, quippe, quam nihil aliud sit, quam quod Creator eam esse voluit, ideoque penes eum esse de jure absoluto, pro lubitu de illa disponere.* Quid autem de prioribus sententiis sit sentiendum, non difficulter ex infra adducendis, colligi potest, sed ultima hæc Amyraldi, ob suam manifestam impietatem, non credimus quod obtineat assensum; pro illa tamen refutanda, non ultra nunc laborabimus, reservandum est id sequentibus nostris curis, dum illos refellimus, qui eandem cum Amyraldo insunt tibi, quos membrum posterius, favente gratia divina, aperiet detegetque. Ad descriptionem itaque juris & Domini DEI nunc calamus cum mente convertimus.

§. II.

Dissentunt quæ verba Doctores in descriptione juris & Domini, utriusque *Volto, Gisberto & Paulo* dicitur *idea rectitudinis & bonitatis DEI, circa gubernationem hominum cum potestate in præcepta se diffundendi, ac per ea, ipsos dirigendi & obligandi.* Hanc non judicant commodam esse *Dd.* tum propter vocem *Idea*, tum quod iusto sit strictior. Generaliorem & perspicaciorem subministrat *Simon Episcopus* descriptionem: quæ *jus DEI in eo vertitur, ut Deus facere possit circa homi-*

hominem, id omne, quod se & perfectione sua nature dignum est. Gotzio hunc in modum jus illud describere placet. Est facultas, qua Deus ab homine exigere eidemque imponere potest, quicquid Sanctitati sue non repugnat. Bonam & commodam hanc esse censent Sapientes, ideoque non plures attinet adducere, cum facile ex illis innotescere potest, quid illud jus DEI in hominem sit. Hinc itaque ad *juris* hujus, de quo disseritur, *fundamentum* inquirendum, properandum est.

§. III.

Conferunt equidem Dd. singuli, quantum unquam valent ad *fundamentum juris Divini* solide jaciendum, sed rejicitur ab uno, quod alter ponit. Hobbes: putat solam *potentiam irresistibilem* esse heic *fundamentum*. Armin. *Creationem*. Amyraldi: quem paulo superius nominavimus, in *epochis* & *Eminentiam* substernit, tanquam *fundamentum summi istius juris*, sic enim ille pergit: Neque *bonitas* nec *justitia* in *epochis* illi adimit, quæ creaturam arcet, quo minus jure cum eo contendere potest. Non *bonitas*: nam si bonitas id faceret, quanto melior esset enim quisque dignitate præcellit, tanto minus ejus potestas atque dignitas accederet ad summam, qualis à nobis descripta fuit. Esset autem sic pessimè cum rebus humanis comparatum, si summi Magistratus, una *bonitatem* & *epochis* retinere non possent. Non *justitia*; ut enim prætereamus idem sequi incommodum, ut quanto justior, & æqui retentior judex esset, tanto magis ex fastigio *epochis* descenderet. *Justitia* enim illa remuneratrix in *DEO* nulla esse potest, nisi ex pacto & convento, quo *DEUS* verbis conceptis sese ad remunerandum ob-

„strinxit. Hic autem rem consideramus seposito omni
 „pacto, ut naturaliter sese habeat duntaxat. Sed *Osiander*
 in observ: more solito rem altius ponderans, rejicit hoc
 ipsum ab *Amyraldo* jactum fundamentum, tanquam incom-
 modum: quod enim pugnat cum sapientia (sunt verba
Osiand. pag. 101. proxima verbis *Amyrald.* supra notatis.)
 Divina illud imperfectionis censendum est esse potius,
 quam perfectionis & consequenter non sub objecto po-
 tentiæ divinæ. Mutuam operam *Osiandro* confert *Zent-*
grav. destruendo fundamentum ab *Amyraldo* positum.
 Ob enim ejus eminentiam præcisè subjectus dici non potest, (ho-
 mo puta) cum eminentia simpliciter jus non conferat in alios
 tanquam subditos, nisi bi aliunde hanc eminentiam agnoscere te-
 neantur. *Zentg.* pag. 35. Hicce assensum præbet *Rudrauff.*
 dum unà etiam *ὄρεοχνη* negat præcisè esse fundamen-
 tum *Juris Divini*. Hoc sic distracto, aliud est exstru-
 endum; & quemadmodum mutuis & junctis viribus il-
 lud ab *Amyraldo* jactum destruxerunt *Osiander*, *Rudrauff:*
 & *Zentgrav*; ita etiam unà aliud exstruunt. Et respiciunt
 illi ad dependentiam hominis; dependet enim à Deo
 tam in esse primo, quam continuo; etiam ad insignium il-
 lorum beneficiorum collationem per creationem, medi-
 ante qua majesticam suam potentiam abundè satis ma-
 nifestavit; unde *Didinum* jus oritur in hominem, rem si-
 bi propriam, de qua sic potest pro suo arbitratu dispo-
 nere. Audiamus nunc Doct. de hac re judicia. Nititur
 hoc jus Divini Domini in hominem beneficiis istis *perpe-*
tuis & gratuitis, uti à *Seneca* deprædicantur Lib. de Benef.
 quæ larga manu DEUS in eundem contulit. Hoc
 ipso, quia homo omne id, quod est, à DEO est; juris
 Divi

Divinitest, Deoq; subjectus vivit Zentgrav.. *Omne jus, quod DEus sibi vindicat in Creaturas, veluti equitate temperatum est; ita nititur aliquo Dei in Creaturas beneficio, si enim quidquam in rerum natura esset, quod per actionem nullam divinam esset id, quod est, nullo certe jure, illud DEo subditum dici possit, eò quod à Deo non dependeret ac ea propter sui juris esset. Jam vero Justum Dominium semper requirit collationem majoris beneficii in id, cui dominaris, quam esse potest malum, quod inferi ei, in quam, ob collatum beneficium, Jus sibi vindicas. Si enim quod infligitur malum, longe excedit bonum collatum, dominium beneficio collato superstructum non est equum, sed iniquum Brochim..*

§. IV.

Quamvis validissimis sint superstructa fulcris, quæ de fundamento juris Divini asseruimus; tamen Amyraldus ægrè ferens ejus molimina everfa esse; conatur nostrum, quod jecimus fundamentum, evertere. Existimat aliquid incommodi exinde oriri, si ponatur fundamentum in divina hominis productione, munificentissimaque bonorum collatione; & non in divina *ὄρεγοχή* præcisè, ad illius mentem solidiori fundamento. Sic instat: subditi in Regem suum aliquid beneficii conferentes, possunt ista collatione beneficii, *obligationem & jus* in Regem sibi tribuere. Quod etiam de Libris parentibus suis aliqua ratione beneficientibus, potest dici ac urgeri. Sed instantia hæc cum instabile minusque firmum habeat fulcrum, vel leviter agitata facillime corruet. Non enim est difficile discernere inter illa beneficia, quæ vel subditi, vel liberi, Regi & parentibus exhibent; & inter Divina. Illa sunt debita & lege omnia iusta injuncta; hæc autem non. Debet enim quilibet sub-

subditorum, quacunq̄ ratione, sic jubente *Regum summo*, Regi suo exhibere honorem quemcunq̄, animum tam devotissimum quam promptissimum; sine juris alicujus attributione. hoc ipso nihil promerendo, saltim debitum exequendo. Idem ferè judicium esto de beneficiorum collatione in parentes. Deus autem uti non obligabatur ab alio ad creandum hominem; ita etiam nec ad illorum beneficiorum collationem, quæ hominem per naturam in mundum hunc comitantur. Jure itaque DEUS hominibus imperat sibi obligatis, & Amyraldus frustra & inconvenienter argumentatur.


§. V.

Stabit nunc *juris Divini* fundamentum immobile & inconcussum; ideo & id relinquentes investigamus heic *Normam*, secundum quã, jus illud sapientissimè administratur: illa autem *Norma* constituitur à Dd: *Lex æterna*; de qua, pauca veniunt pro ratione instituti, promulganda. Non ignoramus *Legis* vocabulum varias admittere significationes & divisiones; quastamen nos præteribimus, utpote brevitati studentes, unam vel saltim alteram attingendo, & quidem eam, quam judicamus nostro instituto inservire posse. Apud Auctores deprehendimus acceptionem *Legis* esse vel *latiorem*, & secundum hanc, est ratio Divina, juxta quam, ea, quæ sapientissimè condidit, etiam sapientissimè & justissimè moderatur & gubernat. Vel *strictiorem*, quam etiam faciunt rationem, secundum quam omnis boni auctor, bona & justa quævis naturæ intelligenti seriò mandat atque injungit. Contra, mali cujusvis osor, mala quæcumq̄ severè prohibet & interdicit. Illa occupata est circa creaturas universim; hæc circa agentia rationalia

tionalia speciatim. Cum enim Deus sit optimus & sapientissimus, oportet eum talem concepisse rationem, practicam gubernandi genus humanum, ut non nisi sanctè, justè humanæque societati conservandæ modo congruo actus nostros & motiones dirigeret, talique nos sibi devinciret lege, ut non nisi sanctè, justè humanæque, nostræ naturæ convenienter, viveremus Zentgrav.

§. VI.

Ut etiam paucis memoremus, quid hac lex æterna sit, & quomodo talis conceptus æternæ mentis, nobis innotuit, ex Doctoribus sequentia annotare decebit. Lex æterna juxta quosdam, teste Zentgrav. dicitur mens & ratio bona præcipiens, mala prohibens. Petrus Marchant: citante eum Zentgrav: explicatius illam describit: *Lex illa est ipsa DEI rectitudo, & prima veritas, quatenus per illam omnis rectitudo mensuranda, & regulanda intelligitur, seu concipitur; atque ipsemet DEUS, prout omnis rectitudinis principium.* Meinero dicitur *Decretum de regimine rerum.* Thomæ vero *ratio gubernationis rerum à DEO.* Et illa ratio duplicem potest habere respectum vel ad DEUM; vel ad *Creaturas.* Juxta priorem, existimant DD: Deum ab æterno, ex libertate voluntatis suæ, sibi quasi normam posuisse, in gubernatione rerum tenendam. Non enim est dubium, quin intellectus divinus jam ab æterno judicavit, imò decrevit DEUS, quæ lege suo tempore, hominum actiones dirigeret. *Cogitavit nos ante natura, quam fecit,* ait Seneca lib. de benef. Sane, sicut ab æterno in DEO fuit conceptus secundum quem mundum hunc condidit, ita non est negandum, quin detur quoque in Deo ratio, secundum quam,



oportet eum sapienter concepisse, libereque decrevisse, quomodo Creaturas, convenienter illarum naturis, dirigeret. Juxta poster: Censent DEum, quemadmodum & censendum est, concepisse certam rationem, ad quam ceu regulam Creatura quævis, in suis actionibus, motibus & inclinationibus constringitur. Constituit quippe Deus ab æterno non solum quomodo agentia libera suas actiones obire, sed & quomodo agentia naturalia, suum servare ordinem & intra eundem ad suum finem dirigi deberent. Jam, juxta promissum, etiam tenemur ostendere quomodo hic æternitatis conceptus & inviolabile statutum, nobis nunc existentibus, & qui antehæc tempora existeret & post hæc existent, innotescit. Quemadmodum enim per hanc legem, agentia rationalia, ad obedientiam illi præstandam, se quam maximè obligata esse sentiunt; ita oportet cognita etiam sit per naturam. Quod tibi facile persuadebimus cum dubio procul sis persuasus legem naturæ, tibi, citra luminis revelati gratiam, innotescere, quæ est quædam promulgatio legis æternæ, secundum Dd; à Deo nobis facta, ut sciamus, quænam illa lex sit, qua, jam ab æterno supremum Numen sibi nos voluit obligatos. Et sic resplendet ex lege Dei æterna in nobis Lex naturæ, est radius & resplendescencia quædam, quasi divinæ rectitudinis sanctitatis & justitiæ. Immutabilis in nobis, in quantum divina sapientia secundum hæc attributa creaturam intellectualem creatori conformem fieri, & vivere debere, eandemque gubernandam esse judicavit. Zentgrav.

Qvibus sic ostensis, tangenda est nunc controversia illa, quæ inter Dd: agitur de *lege æterna*; num scilicet *legis* nomine propriè venire potest? Recenset longa seriè affirmativam tenentes Rudrauff. Phil. Theol: *Thomam, Scotum, Svarcz.* &c. *Becani* vero responsionem ad quæstionem adducit talem: *Lex æterna* spectata in subditis, non habet rationem legis, quia ab æterno non fuere subditi; Unde fit ut cesset illa ratio *Legis*. Spectata in legislatore tres includit actus: *Judicium, voluntatem & imperium*: ubi legislator judicat, vult & imperat, ut hæc, vel illa regula à subditis servetur; Cum ergo ab æterno, nulli fuerint subditi, cesset imperium & consequenter lex in legislatore; Licet in eo sint priores duo actus, æterni, non tamen tertius. Spectata ut *regula practica* ne, sic quidem potuit esse ab æterno lex, vel habere, vel habuisse rationem legis, nisi supponatur regulandum, i. e., nisi a legislatore subditis observanda cum imperio præscribatur. Sic ille. Dictum erat paulò superius, dum cœpimus instituere mentionem *legis æternæ*, respiciendum esse, vel ad *DEum*; vel ad *creaturas*; ejus rei oportet heic meminisse, dum occupati sumus in paranda responsione ad quæsitum. Si itaque respicias *DEum*, pro ut lex est ratio, secundum quam regit hoc universum, tum non meretur nomen *legis* propriè sic dictæ. Rationem damus hanc: qui enim præscribit legem, oportet sit superior illo, cui servanda illa Lex præscribitur, quò sentiat se esse obligatum ad obedientiam præstandam; quod autem hæc ipsa, cum supremo omnium absolutissimo Do-

mino non consistere possint, quilibet facile videt; unde
 & hoc nobis, haud difficulter, sine dubio concedit qui-
 libet; quod expiret nomen *Legis* propriè & *αρετῶν* lo-
 quendo. Si tamen multum urgeas, possumus, consensu
 Doctorum; illam dicere legem, pro ut est quasi ratio à
 Deo liberrime posita; verum non nisi *abusive, improprie* &
ἀνοσιόλογως. Rudrauff: Una nobiscum etiam facit Zentgrav.
 Esi negari non potest quod in divina mente, decretum
 voluntatis, de agendis ratione ordinis præcedant dicta,,
 mina practica; *Legis tamen rationem respectu divine voluntatis,*
non habent, cum non præcipiant, vel voluntatem *superioris,*
 dictitent, verum quæ sit ratio agendorum indicent. Per-
 git idem: *DEI Lex* vocatur, non quasi mensura aut regula,
 actuum *DEI*, seu ad intra, seu ad extra terminatorum, illi,
 enim sunt naturales, ab intrinseco necessarii nec sub,,
legem cadunt; hi vero non sunt subjecti potentioris alicu-
 jus superioris imperio. Sin autem respicias ad *Creaturas,*
 in universum omnes, quatenus illis est data norma agendi,
 juxta id, quod supra attulimus, tum eandem fere gerit
 faciem, strictè scilicet loquendo, non dici potest *Lex* ob illas
 rationes, quas nunc dabimus. Hoc modo enim spectata
 dicit etiam respectum ad *Creaturas irrationales & naturales,*
 quæ instinctu naturæ in suos fines feruntur, a quibus non
 abire possunt, carentes ratione & libertate voluntatis, in
 diversas partes flexilis; quæ ideo jus & obligationem re-
 cipere aptæ naturæ non sunt. Nam ubi alicujus agentis vires,
 per naturam ad uniformem agendi modum, sunt alligatæ, ibi li-
 bera actio frustra expectatur, istis, incassum frustra præscri-
 bitur aliqua Norma, quam cum nec intelligere, neq; ad eandem

esse componere potest. Pufend. de off: civ: Per analogiam tamen potest dici lex ad indicandam omnium Creaturarum *dependentiam, subjectionem & obligationem*; subsunt enim omnia agentia adeoque irrationalia & naturalia ordinationi divinæ, unde & illa, lege Dei æterna teneantur, prout non ordinariè possunt recedere à naturali indito instinctu, qui illis *quasi lex est.*

§. VIII.

Postquam sic, tam respectu *Creatoris*, quam *Creaturarum* irrationalium, examinavimus vocabulum *legis*, dando expeditum quale Ddm. sit iudicium de isto negotio; supersunt etiam *rationales & libere agentes* creaturæ, quarum consideratio nos heic morari jubet, antequam controversiæ supremam imponere possumus manum. Supra diximus eximendas esse creaturas irracionales, propter carentiam cognitionis intellectualis, voluntatisque & libertatis absentiam, à lege hac strictè tali. Unde relinquitur agentia intellectualia libera in actionibus suis, eidem esse subjiciendas, & quidem propriè quoad actiones quæ liberè eliciuntur, & non ex naturali necessitate predeunt, cum illæ, quæ aliter, quam geruntur, fieri non possint, frustra præcipiantur vel prohibeantur: Sed dicitis: Lex *effectivè* est alteri actu existenti mensura & norma in agendo & operando, ad certam rationem actu obligans; ab æterno autem non fuit *Creatura* ulla, adeoque nec rationalis; atque sic non obligabatur lege illa, nec potest hac ratione dici lex. Hoc dubium solvit Rudrauff: distinguendo inter legem *effectivè & quoad obligationem actualem*; & *essentialiter*, & quoad *obligationem radicalem*. Si non prior mo-

do fieri potest nomen legis, utique sine dubio posterio-
 ri. In defensionem & tutelam nominis hujus sæpius no-
 eati, sic differit Zentgrav. Hoc decretum divinæ volunta-
 tis, cum sit norma actuum, & mensura agendorum vim
 obligandi habens, bene *Lex* appellatur; cumq; hæc admi-
 nistrandi forma, juxta quam æqvè sapienter ac svavi-
 ter omnia disponit & gubernat Deus, ab æterno in eo-
 dem extiterit, jure dicitur *æterna*. Pergit. Quamquam
 vero ante mundum conditum nemo fuerit, cui ista *Lex*
æterna promulgari, quemq; etiam obligare potuisset, *vim*
 tamen illam ac *proximam* obligandi creaturas extituras
potentiam jam habuit, id quod ad rationem legis æternæ
 satis est.

§. IX.

Hæc, pro aditu in regnum omnium vastissimum,
 parando, sic præmissis, illud nunc intramus, visuri,
 quem habet *Regem*, quos habet *Subditos*. Et non opus
 habemus diu circumspicere; tam enim testimonium,
 quod in nobis est, quam quod ante oculos, Monarcham
 constituit in hoc regno *Regem Regum & Dominum Dominan-
 tium*. Cujus mandata Monarchæ illi ac Reges, quos nos
 veneramus, devotissime tenentur exequi, cui dispensatio-
 nis suæ æqvè ac subditi, aliquando rationem reddent ex-
 actam; quem etiam tanquam justitiæ fontem, in decernen-
 da justitia inter mortales, sibi ob oculos ponere debent
 perpetuo, ne quidquam in imperando committant, quod im-
 perium ac jus summi Regis violare potest. Ille enim est, fuit
 & erit Dominus absolutissimus, qui nulli rationem redde-
 re tenetur, quique solus omnium, sublimem istum titulum
independentiæ sibi tribuere potest. Independentis enim est
absolute, cui plane repugnat ullam habere causam; ut docent

Metaphysici. Huic Domino ac Regi competit jure meritoque potestas ferendi leges, latasque subditis cum imperio præscribendi, ut easdem fervent, inq; actionibus pulchre exprimant. Quam potestatem ita ampliant Dd: ut eandem non tantum ad ea, quæ sunt honesta & decora *naturaliter*; sed etiam ad id omne, quod non est malum *moraliter*, extendant. Et quæ talia sunt, illa dicimus DEum posse justè præcipere, immorigerumque ad extrema quæque supplicia subelunda damnare. Hic æquissimus ac gravissimus morum censor, jure optimo imperium sibi in actionibus hominis vendicat, eundem suis constitutionibus ligat, & ad obsequium præstandum potentissimè compellit. Non putabis sufficere, munia sua, externa honestate speciosè & insigniter splendentia, coram hoc Rege, utut humilime deponere; quia etiam respicit interiora, vultque ut e pura & sincera mente prodeant illæ, quæ ab hominibus laudantur actiones; quin & dominatum sibi in conscientias hominum tribuit, quas semper vult esse salvas. Frustra enim, ut fatur Zentgrav. legibus actiones hominis exteriores subjiciantur; nisi & internæ legibus dirigantur & assuefiant; cui impune licet in mente atrocia moliri scelera, impuras alere cogitationes, qui mirum si cogitata atrocitas, in externam prorumpat immanitatem. Abs vero itaq; quam longissimè aberraret, quin & coarctaret amplissimum imperium divinum, qui internos illos actus à lege hac eximere conaretur, gravissimum eo ipso conscientiæ, malorum & bonorum actuum testi infallibili, infligendo vulnus.

Boni & æqvitat̃s amantis *Legislatoris* est, in legibus ferendis, ad subditorum respicere conditionem atque naturam, ne legibus, quas tulerat, illa facere obligentur, quæ tam naturæ eorum repugnant, quam a condit̃one illorum aliena sunt; Quam iniquitatem ab æqvissimo hoc *Legislatore DEO*, removendam esse, vel quilibet ultro largietur. Non enim alia ratione hominem sibi subjicit, aut eidem imperat, quam justa, legitima, naturæque ejus apprime convenienti. Et prout hominem, animal rationis insigni dono præditum creavit; ita etiam eundem, non alio modo, quam rationali dirigit atque gubernat. Irrationaliter enim, si cum natura rationali ageret, cerre potestatem gereret destruentem penitus justitiam & sanctitatem suam, a qua tamen in imperando & præscribendo nunquam sane deflectit. Unde habent subditi in hoc regno, de quo sibi majorem in modum gratulari possunt, quod non nisi justa præcipiat, nec a subdito aliud lege sua postulat, quam id ipsum, ad quod præstandum, etiam per naturam vires dedit. Quod autem impossibile est agenti ob denegatas vires præstandi, id *DEUS* nec potest nec vult præcipere, quia adversaretur id ipsum summæ ejus bonitati atque justitiæ. Injustum enim est id a subdito requirere, quod vires ejus, ab eo non depravatas, superat. *Tyrannorum est ferre leges, causam parare, & crimen querere, ut subditi puniri possint. Adversatur legislatoris supremi sapientiæ ejusmodi ferre leges, quas subditus, ob denegatas, non vero depravatas & deperditas vires, etsi velit, non tamen observare possit. Etsi enim ad domini sui eminentiam ostendendam illud legislatorem supremum facere quis*

quis crederet; cum tamen ea jus suum divinae bonitati & justitiae
 convenienti quadam ratione exerat. Sicut sapientia DEI cum cete-
 ris ejus amicis conspiraret attributis; ita quoque eadem nil imperare ho-
 mini DEO permittit, quod ipseus natura non est convenientis. Legens
 ferre, quam subiectus implere nequeat, nec implendi vires sua
 culpa decoxis, non modo frustra est, sed & cum summa iniquitate
 conjunctum. Paf. de jur Nat. & Gent. p. 100. Aliud autem iudicium
 est ferendum de illis impossibilibus, quae talia sunt, pro-
 pter deperditas exhaustasque propria culpa, negligentiam
 vel malitiam, vires, quibus custoditis & servatis non esset
 agenti impossibile satisfacere praeccepto ac juri à legisla-
 tore dato. Non enim negare potest quisquam, quin Deus
 iuste id requirere ac exigere potest ab homine, quod ipsi
 dedit, nihil quidquam obstanto aduersione, propria culpa,
 contracta. Quis audet dicere Deum jure suo debere ex-
 cidere ob culpam hominis? qui enim nefarie & teme-
 re in aduersionem semet praecipitavit, ille etiam sub jugo legis
 ad observationem severe obligantis gemere tenetur. Sa-
 pientissime & optime, secundum Dd. DEus impossibilia,
 apud homines urgere potest, ut agnoscant culpam. Non,
 enim justitiae ejus adversatur, quando petit id, quod sibi,
 jure debetur. Sicut enim voluntaria hominum mali-
 tia, qua, deperditis agendi viribus inepti redduntur, ad,
 imperata facienda, Deo fraudi esse nequit, ut ipse jure,
 suo in immorigeros excidat; ita cum illi jus suum ma-
 neat integrum, iusta semper est exactio observationis le-
 gis, ab illis praestanda, qui sua culpa vires praestandi de-
 coxerunt, quo ipso nihil sane quidquam gloriae Divinae,
 decedit, nec iniustitiae aliqua nota in Deum cadere potest.

„Nam si quis per suam culpam amittat facultatem im-
 „plendi legem haud quidquam vis ideo expirat, sed re-
 „linquitur legislatori potestas, poenam exigendi eo nomine,
 „quod legibus suis jam satisfieri nequeat.

§. XIII.

Constituto sic *Rege*, constituendi nunc veniunt *subditi*,
 quos non putabis, unius alteriusve imperii populum
 esse, sed, ut multa paucis comprehendamus, univertum
 Orbem terrarum, & omne quod complectitur ille. Sub-
 est enim omne creatum imperio Divino, certa & sibi
 convenienti ratione, tam res illæ, quæ omni sensu carent,
 quam quæ eodem gaudent, quibus illas omninò addes,
 quæ ob spiritualis naturæ præcellentiam, supra reliqua
 creata longius evehæ, atq; ad lætera *Regis*, mandata ejus
 executuræ, stant perpetuo. De quibus omnibus pluri-
 bus agere hac vice nostra non fert instituti ratio, con-
 stituimus enim inter *subditos* hujus imperii, (quod & an-
 te indicatum ivimus) hominem saltem & jus, quod in
 eum habet Deus, contempleri. Unde & nobis heic sta-
 tim incumbit ostendere, qua ratione *vis imperii divini in*
hominem, sponte se exercit & homo ipse se Deo esse subiectum sentit.
 Ut antea asseruimus, notitiam aliquam de Deo, hominem
 in mundum venientem, comitari: Ita etiam nunc asseri-
 mus, metum naturalem omni homini imprimi à DEO,
qui est tacitus obligationis sensus, divino in hominem respondens
imperio, instigans etiam eum ad cultum & venerationem Deo
debitam, per cujus metus impressionem, Deus jus suum,
 quod in homines habet, indicat & manifestat. Et quem-
 admodum homines, quibus Deus imperat sunt *boni vel mali;*

ita etiam pro diversitate illorum duplex oritur metus, alius qui inest bonis & probis, alius malis & sceleratis. De vi & efficacia utriusque pauca hæc annotabimus. Qui DEum timent, inquit Plutarchus, malitia apud illos paulatim contabescit, minus confervantur; quanquam indulgentiis audent, scelera, statim deinde metu ac penitentia corripuntur. Illorum metus à sceleribus revocat, Deum præsentem sistit, eum justum judicem unicuique suum tribuentem, Coniunctusque est cum amore supremi Numinis & bona spe. Consequitur hunc metum in moratoribus, qui non omnem humanitatis sensum penitus exuerunt, horror ante factum, ita ut scelus aliquod à se committendum cogitantes coborrescant & ex Numinis metu à malo abstinant. Aliud autem, ex lib: Senecæ de metu malorum, depromimus testimonium. Tantum, dicit ille, Sceleratis metuum, quantum nocent, nec ullo tempore vacant, trepidant enim cum fecerunt, hærent, conscientia aliud agere non datur, ac sibi de respicere ad se cogit. Alibi. Quanquam scelerati ex insita ferocia, qua suæ libidini obsequentes Deum hominesque contumaciter vident sine sensu & metu homines in scelera ruunt, ubi tamen delus è somno alto. expergefactus homo, ad se redit, sceleris conscientia temulentum alloquente, accusante & dominante. trepidare, pallere judicemque supremum timere incipit. morte se dignum esse novit. En! testimonium evidentissimum de jure & imperio divino, quod nec pessimus quisque detrectare valet; adeo enim firmiter Deus menti humanæ metum sui impressit, ut ne quidem tota caterva malorum eundem delere possit. Sed in istas dicendo: Videtur tamen obligatio hæc, qua sceleratos & refractarios, esse inefficax; hi enim adeo temerè in scelera quæcumque

riunt, ut non videantur sentire Dominium Dei, quod pro lubitu, absque ullo metu pœnæ, rident atque conculcant. Reponimus sceleratissimos etiam efficacissimè sane sentire imperium supremi Numinis, eo ipso, quo conscientia illorum, nocte dieque eos flagellat, quod nunquam evitare possunt. Satis sanè pœnæ flagellis istis conscientia inest, quibus, ob neglectam obligationem contemptumque imperium divinum, perpetuò cæduntur. Potentissimè omninò, hac ratione, Deus illos coërcet officiique sui admonet, quo ipso satis pœnæ ob temeritatem luunt. Nec unquam se salvare possunt fuga, quo ipso, firmior hæc videtur esse obligatio civili: pœnas enim civiles facinorosi non raro effugiunt, hominesque tallunt, sed heic nullus fugæ, nullus fraudi relictus locus. *Nec tu, nec alius, dicit Plato, optet confidatq; se adeo felicem fore, ut iudicium Dæorum (DEI) effugiat. Nunquam ab illo negligens, nec si ita parvus sis, ut in terra profundum ingrediaris, nec si aded sublimis fiat, ut pennis elatus, in Cælum voles, sed convenientia supplicia dabis, seu hic manes, seu ad remotiorem aliquem inaccessibilemq; locum translatus.*

§. XIII.

Postquam sic tam *Regem*, quam *Subditos* designavimus, Ipsa hæc nunc vocabula *ius* & *Dominium*, quæ a nobis promiscue, in describenda Monarchia hac eminentissima, adhibentur, paulatim heic morari jubent. Qui consulit Scriptores, deprehendet illos hæc habere pro distinctis, Et inter illos, si Doct: *Osiandrum* in Annot: inspicias & quidem pag. mihi 699. videbis illum absurditatis illos arguere, qui *Dominium posuerunt in re, quæ est sub Dominio,* quod

quod potius est *habitus ad rem, quam ipsa in natura sua*.
 Quis dominium equi dicit ipsum equum? Alios erroris
 arguit confundentes *dominium cum jure in re*, quasi æque
 late paterent. Hoc quidem admitti potest quod *Dominium*
fit jus in re; non tamen possunt inter se reciprocari. Si
 enim *Dominium* consideratur pressius, non est formaliter
 jus disponendi, sed potius dicit *habitudinem ad rem*,
 tanquam propriam & subjectam. Liqvit id ex natura
 hujus termini, qui essentialiter dicit *habitudinem quan-*
dam inter illum, qui est Dominus alius rei, & rem ip-
psam. Ad confirmandum hoc ipsum adducit Idem O-
 siand. quendam sibi pulchre consentientem; cujus verba,
 ipse, si placet, inspicere potes pag. 702. in Annot. Discrimen
 quidem esse inter hæc vocabul, Rudrauffi etiam largitur.
 Docet enim (sunt vera illius) experientia non omne Do-
 minium esse justum; in Deo a non potest esse nisi domi-
 nium justum; ergo nihil obstat, quo minus promiscue
 hæc vocabula possunt adhiberi, cum etiam distincta sit
 hæc Monarchia ab omnibus aliis. Et vocabula hæc nobis
 idem sunt ac dicerent, quemadmodum juxta mentem no-
 stram etiam dicunt *Absolutam, & independentem, facultatem &*
potentiam juste regendi & faciendi. Hoc dominium, si gene-
 ratim spectetur, juxta Eruditos, in duplici differentia
 expendi potest. Scilicet dominium est vel *jurisd. & tionis vel*
proprietatis. Illud Lessio, quem citat Rudrauffi: dicitur *pot-*
estas gubernandi subditos, a qua Reges dicuntur Domini, Hoc
 autem est *facultas, vel jus disponendi de propriis pro arbitrato*,
 ita ut DEUS res suas proprias possit *consumere, vastare, con-*
servare, donare citra injuriam cujusq. de.

Utrique dominio peculiare adsignant actus, ut jurisdictionis sunt: *precipere, prohibere, permittere, punire, & premiis afficere, conservare vel annihilare, extollere aut deprimere, amare & ex amore eligere, vel negligere & ex neglectu postponere aut abjicere, donum conferre vel subtrahere &c.* Existimat Rudrauffius, non incongruè, hoc ipsum, quod de dominio dupliciter considerato, tradidit Lessius & nos ex illo modo annotavimus, ad DEUM applicari posse; in applicatione tamen semper monet habendam esse rationem justitiæ & sanctitatis divinæ, ne in illam quidquam peccemus. Scilicet, quando mortales de Deo loquimur, non solum id reverenter faciendum & citra omnem petulantem curiositatem, sed etiam locutiones, quas a rebus humanis commodato velut sumas & ad modum rerum humanarum formatas, ad DEUM applicamus, ab omni velut imperfectione depurare debemus. Non enim habet DEUS hoc dominium, eo modo, quo Domini terrarum dominia sibi acquirunt; sed longe sublimioribus titulis creationis scilicet & conservationis, ut superius asseveravimus, contra Hobbesium, statuentem jus DEI niti *sola potentia irresistibili*, ut supra pag. 4. §. 3. verbo indicavimus. Verba autem illius sic habent *in regno Dei naturali jus regnandi & puniendi eos, qui leges suas violant, esse a sola potentia irresistibili.* Quam sententiam, utut rationibus non paucis ab Hobb: firmatam, refutatam videre potes a Nobilissimi: Pufendorf de Jure Nat. & Gent. p. mihi 83. 89. idcirco nec nobis aliquid negotii facessere potest, qui supra fundamentum, quo nititur jus DEI, ut speramus solidum satis, posuimus. Hisce sic positis auspiciamur membrum, quod pollicenti fuimus tradere alterum. Sit itaque.

MEMBRUM POSTERIUS.

§. I.

Membrum, ut vidisti, prius multis deprædicavit potentiam *Regis Regum*, quam tamen ita extollebamus, ut sanctitas & justitia divina non periclitaretur, qua cautione nunc opus est, dum talem quæstionem instituimus: Potest ne Rex in hoc regno, subditos suos, non reos alicujus criminis & innocentes, salva sua justitia, è medio tollere & annihilare?

Hæc videmus nonnullos minus cautos affirmativam arripere, metuentes ne quid potentiaæ divinae detrahant. Alios negativam tueri, ut justitiam divinam extollant & salvent. Audiamus nunc paucis illorum opiniones, antequam ad responsionem nos paramus; Citat Rudrauffius Molinam existimantem *DEUM pro arbitrato posse a creaturis vitam auferre, absque cujusque injuria posse omnes annihilare.* Huic consona est Amyraldi opinio, membro priori annotata & quidem pag. 4. §. 1. ex Thoma & aliis scholasticis dicitur, *DEUM posse judam & omnes damnatos salvare contra Petrum & omnes beatos damnare & citra ullius injuriam, quia omnia habet sub sua potestate & possessione.* Ipsa natura profecto DEum nobis aliter proponit & qui sanæ est mentis, solum natura duce, hanc sententiam potest refutare; cum quilibet per naturam novit DEum esse justum, utpote lege naturæ hominem ad juste faciendum obligantem; hæc cum ita sint, justum quoque hoc ipsi per justitiam erit, genus humanum non solum juste gubernare sed & juste in omnibus cum homine agere, cum

ea, quæ justa sunt, solum dicitur justitia divina. Hinc vel
 iudicio Luminis naturalis, vix sibi constabit sententia.

§. II.

Scias etiam, volumus quæstionem, superiori spha pro-
 positam, non esse intelligendam de creatura *irrationali*,
 sed *rationali*. Penes illam enim, prout non est, capacitas
 aliqua juris, ita nec injuriæ, atque sic, quod patitur &
 recipit, citra injuriam, accurate loquendo, patitur. *Ubi e-
 nim nullum est juris vinculum, legisve prescriptum, nulla committi
 potest injustitia. Nulla compareat capacitas præmi, nulla injurie
 illatio in brutis, juxta Osiand.* Si amputaveris arborem certe
 injustitiæ non es arguendus. Si mactaveris bovem, non
 peccabis contra justitiam. Aliud autem dicendum
 est de creaturis ratione gaudentibus, penes quas, tam de-
 prehendis capacitatem juris, quam injuriæ, a quibus Deus
 potest honorari vel offendi. Pro responsione quæstionis
 recurrendum esse censent philosophi ad distinctionem in-
 ter potentiam DEI *Absolutam & Ordinatam*. Illa, juxta Stha-
 lium, est vel *exclusivè* talis, & est potentia DEI, quatenus est
*soluta omni lege, sive ut nulli communi ordini diviso, in rebus con-
 sistuto, addicta est.* Hujus potentia exempla constituunt
Adundi creationem, stationem Solis, tempore Josua. Vel *absolutè*
 talis, & hoc modo ordinatam sub se comprehendit, estque
 illa, per quam DEUS potest id omne facere, quod non in-
 volvit contradictionem. Secundum illam agit DEUS ci-
 tra ullum respectum ad attributa, conceptaque est solum
 ratione sui objecti simpliciter. *Ordinata* autem non sim-
 pliciter & tantum objectum respicit, verum rationem ha-
 bet attributorum, justitiæ, sanctitatis, &c. Hisce sic præ-

notatis, dicimus Deum potentia sua absoluta seu per omnipotentiam, materialiter, creaturam etiam extra reatum positam rationalem, annihilare & e medio tollere. Non autem posse, potentia ordinata & in ordine ad justitiam. DEUS enim nihil potest, aut agit, quod non est conforme justitiæ sanctitati & bonitati: adeoque non quæ præcise possibilis sunt & simpliciter talia, sed, quæ sanctissimo consilio decrevit agere, conformiter justitiæ. D. Gerhard. Et sic hac adhibita distinctione quæstionem esse solutam putamus. Alii, pro hoc nodo solvendo, distinguunt inter potestatem dominandi, quæ competit Deo, jure creationis; & inter potestatem judicandi, quæ debetur illi, tanquam Legiſlatori. Nunc etiam habet locum illa distinctio, quam superius dedimus, dum distinguebamus Dominium in jurisdictionis & proprietatis. Prout Deus est omnium rerum absolutissimus Dominus, potestatem habens dominandi suis propriis rebus, ab ipsius nutu dependentibus, potest jure Dominico & proprietatis omnes creaturas annihilare, si velit, cum omnes sint ipsius, & sub ejus potestate. Et quidem quatenus nulli quidquam debet, debitione scilicet coacta, contra voluntatem & à superiore, ab extra, præscripta: Deo utiq; jus est, quod creavit destruendi, etiam cum aliquo doloris sensu; neg; Deus ulli hominum debere quidquam potest, ut eo negato, injuriam fecisse dici queat. Deo quippe tanquam supremo omnium Domino longe eminentius jus in suas Creaturas, quam homini in hominem natura sibi æqualem. Nob. Puffendorf. de jure Natura & Gent. pag. 164. 165. Id ipsum efficere, est nihil aliud, quam influxum liberrimum conservativum subtrahere ac creaturis denegare. Non autem

potest jure judiciali & vi domini jurisdictionis, ut legislator, rationales annihilare; cum ratione hujus juris res hæc aliter est peragenda. Scilicet agendum est hic, ad mentem Rudrauffii, juxta legem præscriptumque justitiæ, quæ omnino absolvit innocentem. Habet se enim hic Deus instar judicis, cujus est innocentem nulliusq; culpæ reum absolvere. Ubi nulla culpa, ibi nulla infligenda pœna, cum hæc illam consequitur, & illa hanc præcedit. *Omnis enim pœna justa demeritum præsupponit, nec bonum dixeris creatoris, si hoc sine creat, ut infinites creature pejus sit, quam si creata non fuisset.* Est etiam, secundum Rudrauffium, inter Deum & Creaturam rationalem, juris vinculum, ex quo Creatura obligatur Deo, & Deus certo modo se obligavit Creaturæ. Osiander in observat: suam etiam operam confert huic negotio dicens: ex ratione Domini universalis habet Deus Jus in res nostras, in vitam, quæ quovis tempore auferre & quando vult potest, ex ratione vero justitiæ, pœnas & præmia distribuit. Quo ipso ille innuit pœnam, nisi præcedat culpa, non esse jure infligendam, quem processum Deum etiam quam maxime observare, illis verbis, apertissime testatur.

§. III.

Non reddunt se contentos hac resolutione adversarii, urgent adhuc vehementer liberrimam Dei potentiam, quæ tam absoluta est, ut non sinat se restringi ad aliud quod ipsi limites ponit, quod si fieret, actum esset profectò de libertate in dominando omnimoda. Hoc est illorum telum, quod in nostra mittunt castra, cui se-
met.

met objicit Rudrauff: Sciendum est 'qua ratione potentia Dei est absoluta, scil: quatenus non dependet à superioris restrictione, directione & vinculo; non enim est dissoluta, ut quodlibet ex quolibet inferat. Jus Dei in homines est ordinatè absolutum intra certum ordinem, ne reliqua ipsius attributa essentialia, & inter illa potissimum justitia periclitetur. Sigvart. Est Deus liber & absolutissimus non peccaminosè & Tyrannorum more, non, indifferenter ad bonum vel malum, non licentiosè ad, quæcunqve adversa, sed purè & sanctè, cui nihil place, re aut lubere possit, nisi quod per ejus puritatem, sanctitatem & justitiam liceat. Non tamen metuendum est ali, quid potentia decedere divina: DEUS enim, juxta Augusti, non potentia temeraria, sed sapientia virtute omnipotens est omniaque illa potest, quæ consentanea sunt ejus naturæ, & hoc est demum veræ omnipotentia specimen, illa omnia posse pro lubitu facere, quæ justa, bona atq; sancta sunt. Cavendum est omninò, ne ex DEO justo, sancto, bono, faciamus Tyrannum sævientem, crudelem ac impium.

§. IV.

ETIAM ex hoc fundamento, quod Deus sit absolutissimus Dominus inferunt nonnulli, malè sani, Deum posse mentibus hominis malitiam turpitudinemq; quæcunqve indere; Verba autem pro illis facit Ferdinandus Wasqvius, quæ, ex Osiandro, annotare lubet. *Posses Deus mentes hominum hac imbuere opinione, hanc legem facere, ut hominem homini insidiari, aut nexum inferre, vel quovis modo nocere, nefas non esset; nec magis quam pecudes, armenta, feras, vo-*

Lucres, vel squammeam turbam interficeret. Concedimus si-
 bentes Deum esse dominum absolutissimum, non tamen
 ejus potentiam eò extendere audemus; quia non cadunt
 illa sub objectum omnipotentiae divinae. Deus enim non
 potest præcipere contraria illis, quæ jure naturali sunt
 injuncta, talia autem sunt, quæ Ferdinandus urget. Equi-
 dem putaveramus Ferdinandum hac imbutum fuisse no-
 titia, quâ etiam, vi luminis naturæ, imbui potuisset, ut
 homicidium natura sua & intrinsecè esse malum sciret,
 adeoq; nunquam posse fieri bonum, ne quidem per po-
 tentiam divinam. Quod autem tale est, id Deus nunquam
 homini impressit, aut imprimit, quomodo quæso potest
 id, quod sua natura est malum, Deus utpote summe bo-
 nus, facere? repugnat enim legi naturæ homicidium,
 quæ omni homini impressa est, quæque radius est æter-
 nitatis indexq; sanctissimæ voluntatis divinæ immutabi-
 lis. Sciendum enim est non omne malum, esse malum
 ex lege, quia lege prohibitum est, sed quoddam ex sua
 natura tale esse, quale quid homicidium est, quod
 propter intrinsecam inordinationem, repugnantiam &
 turpitudinem nunquam boni naturam induere sibi pot-
 est. Docentibus *Scoto, Pontio, Granada.* *Lege enim natura-
 li quæ vetantur non ideo turpia esse, quia DEUS vetuit, sed ideo DE-
 um, ista vetuisse, quia in se erant turpia. Sic & quæ eadem lege
 præcipiuntur, non ideo honesta, aut necessaria fieri, quia a DEO
 præcipiuntur, sed ideo præcipi, quia in se sunt honesta.* Telum itaq;
 illud, à Ferdinando jactum, in terram inane cecidit.
 Sed habet sibi consentientem Amyraldum, sæpius ob sua
 impia dogmata à nobis notatum, Ferdin: sic enim ille pergit:

quis non videt necessario liberum fuisse Deo, non modo nullas nobis de virtute deque vitio ferre leges, quo mentes & appetitus soluti vagarentur, sed etiam præcipere, ut affectibus nostris intemperanter indulgeremus; quod si fecisset, id quod nos nunc appellamus vitium, pia res atque sancta futura erat; quia potuit Deus ex egregio dogmate, scilicet ab hominibus exigere ut numen suum odio acerrimo prosequerentur. En! egregiam, de sanctissimo, purissimo, natura sua averfante, non approbante, & nunquam non odio habente malum quodvis, sententiam. Mirari sane subit, quo furoris cæstro percitus Amyraldus, fuit, dum, non tantum animo tam impiam concepit sententiam, sed etiam eandem in orbem divulgavit, quæ vel legenti horrorem incutit, præstaret longè illam fuisse domi retentam, atque auctori soli reservatam: sic enim neminem aut infecisset, aut offendisset.

§. V.

Dum ab una parte pugnamus contra Amyraldum, ab altera præsto est Szydlovius, telisque quibusdam, ut ille putat, non invalidis, nos invadens. Pugnat & ille fortiter pro absoluta potentia Dei, per quam existimat eum posse quæcumque legem destruere, uti potest condere, est enim supra omnem legem, unde etiam, pro eadem potestate, infert Deum posse illud lege præcipere, quod modo prohibuit, tanquam malum. Liberaliter agamus cum Szydlovio, concedemus illi esse in potestate divina condere legem, quod dum Szydlovio concedimus, tenetur ille pari liberalitate nobiscum agere atque concedere nobis, Deum, dum condit legem, non condere nisi justam. Quo concessio negamus DEum velle aut

legem naturalem, naturæ humanæ intimè impressam destruere, quippe qui originem ducit a lege æterna, norma exactissima fundamentoq; solidissimo ac immutabili: *quicquid enim rationem habet æternitatis, conceptum fundat immutabilitatis.* Ab hac immutabili lege vim etiam suam habet naturalis illa, quam destruere DEUS non potest, quia sic faceret contra justitiam suam, quod absurdissimum est. Haud quidquam fas est credere DEUM velle legem naturæ tollere aut immutare, quamdiu naturæ humanæ nullam mutationem infert. Supra etiam monitum erat, non esse concipiendam in Deo temerariam aliquam potentiam peccaminosam, vel licentiam dissolutam. Etiam dictum est non cadere illa sub potentiam divinam actu exercendam, quæ adversantur justitiæ ac sanctitati inviolabili. Arque Sic suo telo nihil effecit Szydlovius, & licet semet moverat, tamen non promoverat.

§. VI.

Redit adhuc Amyraldus non semel ablegatus, aliis jam instructus armis. *Neque bonitas neq; justitia,* dicit, prohibet quo minus DEUS possit creaturam rationalem innocentem addicere cruciatibus æternis. Verum audiamus quam pulchrè sibi contradicit. *Possunt (dicit) equidem prohibere quo minus id facere possit vel bene, hoc est clementer, vel juste, hoc est ex illa virtute, quæ vindicando peccato destinata est.* Nam sane si DEUS id faceret, neque clementer ageret cum Creatura. Te ipsum, Amyralde, corrigis ac reprehendis. Existimas non male justitiam & bonitatem Dei nil quidquam derogare juri dominico Dei, benè quidem illa, cum inter divina attributa non possit esse aliqua pugna & contrarietas.

Unum enim alterum non tollit aut destruit. Verum de-
 bueras etiam meminisse Deum non nisi benè & justè a-
 gere, aut egisse unquam. Ad quam mentem etiam re-
 dis, dum concedis, *ratione bonitatis id non fieri benè, non cle-*
mentèr, & ratione justitiæ, non justè. Hoc ipso tibi contra-
 dicis: dicis posse fieri & non posse fieri. Quæ te de-
 mentia cepit? aut ad ejusmodi conceptus formandos
 fovendosque adegit? in Deo non est concipiendum quid-
 quam, quod non est bonum, est justum. Nulla vel Eth-
 nicorum impietate, vel Poëtarum licentia tale quid de-
 falsis Diis fuisse unquam fictum, testatur *August:* omnes,
 etiam imperitissimos Atheos supposituisse, omnesque fa-
 terti malas animas justè & eas, quæ nil mali egerunt, in-
 justè damnari. Clariss: Jansenius ex Augustino notat
 hoc horrendum & intolerabile paradoxon plusquam stoi-
 cum, quo nonnulli veluti de Divinitatis arcanis magis,
 instructi, dicere ausi sunt, si beatos omnes ad æternas de-
 jiceret pœnas, nullam iis injuriam facturum, eò quod,
 quidlibet de nobis statuatur, perdat, damnet, in nihilum re-
 digat, jure hoc faceret suo. Addit se nec hæreticum ullum,
 legisse, qui tam exorbitantem pronunciaverit sententiam,
 neque Pelagianos, quamvis audaces in fingendis dog-
 matibus, nunquam eò desperationis fuisse progressos, ut,
 hunc in modum delirassent. Est sanè audacia summa
 ingensque confidentia, ejusmodi de Deo Rege omnium
 sanctissimo ac clementissimo evomere. Foret, ni fallor
 subdito quolibet cordato dignius, quævis bona de bono,
 quæ summè sunt justa de justo, sibi polliceri tutoq;
 promittere. Jus æquidem ac imperium *Summi Maximi*

Nos in semet agnoscere tenetur homo quislibet ejusque
 mandatis lubens parere debet; non tamen putabit quis-
 piam subditorum se jugum portare Tyranni & injusti
 alicujus Regis, violentiam & crudelitatem exercentis
 quamcunque, qui hanc de *Deo Rege* concepit opinionem,
 commissi criminis læsæ Majestatis Divinæ, sine dubio reus
 est, & pœnas temeritatis promeritas nunquam effugiet.
 Non protectò aliud sibi, potest polliceri, qui tam pra-
 vum gerit animum, tamque impiè de Rege suo clemen-
 tissimo loquitur. Si enim gravissimas promereatur pœ-
 nas, qui resistit Magistratui civili, de Rege patriæ patre,
 blasphemè loquitur ejusq; mandata ridet atqve contem-
 nit; quanto magis existimandum est illum, non impunè
 laturum suam temerariam stultitiam, qui adversus Regem
 Regum aliquid, qua demùm cunq; ratione fiat, molitur, sive
 intra in suo corde, quod scrutatur Deus, sive extra in actio-
 nibus & moliminibus suis, quæ ejus habebunt legem pro
 norma. Ira de supremo *Regum* ejusque imperio sentia-
 mus, loquamur, scribamus, ut aliquam maculam Deo non
 aspergamus, ut etiam optimè monet D. Osiand: *Ius Dei
 in creaturas ita asserendum, ne Deo labe aliqua ex nimia ejus ex-
 tensione adspargatur.* Sedulo sanè laborant Adversarii pro
 obtinenda palma, circa hoc notabile satis momentum,
 de limitibus potentia divinæ figendis, quos vel justo fa-
 ciunt ampliores, vel itidem justò arctiores. Sed illa
 omnia heic adducere, nec licet, nec decet. Non licet,
 quia aliud svadet instituti ratio, quæ, ut brevissimis nos ex-
 pediamus, jubet: prolixitas enim nimia, nihil sane, vel laudis,
 vel uberius laboris nostri fructus, nobis polliceri audet.

Nec

Nec decet, quia *sanctius & reverentius est*, ut fatur Tacitus, de actis Deorum (Dei) magis credere quam scire. Foret sanè potius intempestiva curiositas, quam laudanda sedulitas dicenda, si quis mortalium, viribus luminis naturalis, quæ fortè minus sunt validæ, heic multum desudaret, cum non liceat potentiam Dei & voluntatem ejus, intellectus humani metiri terminis, nec multa sunt quæ heic natura suppeditare valet. Da igitur tu O Rex Regum, qui solus dare potes, subdito cuivis animum, quem jure tibi debet, devotum ac promptum, ad tua exequenda mandata, ut tandem illud obtineat præmium, quod tibi obsequenti- bus in regno tuo abunde satis distributurus eris. Tibi Rex summe devotissimè nostra offerimus servitia, eadem ad pedes tuos humilimè deponimus tuamq; semper veneramur Majestatem; quod clementissimè nostro conatu tanquã publico subjectionis nostræ testimonio benedixeris.

TIBI SOLI POTENTISSIMO DOMINO IN PERPETUAS ÆTER-
NITATES REGNANTI DICIMUS LAUDES, HONOREM,
VENERATIONEM.



The first part of the book is devoted to a general history of the
of the world, from the beginning of time to the present day.
The second part is a history of the British Empire, from the
of the first British settlement in North America to the
of the present day. The third part is a history of the
of the United States, from the first settlement in
of the present day. The fourth part is a history of the
of the world, from the beginning of time to the present day.
The fifth part is a history of the British Empire, from the
of the first British settlement in North America to the
of the present day. The sixth part is a history of the
of the United States, from the first settlement in
of the present day. The seventh part is a history of the
of the world, from the beginning of time to the present day.
The eighth part is a history of the British Empire, from the
of the first British settlement in North America to the
of the present day. The ninth part is a history of the
of the United States, from the first settlement in
of the present day. The tenth part is a history of the
of the world, from the beginning of time to the present day.

